



44

RECTOR
ACADEMIAE WITTENBERGENSIS,
MICHAEL
WALTHERUS,
SS. THEOL. D. ET PROF. P.
NEC NON ALUMN. ELECTOR.
EPHORUS,

CIVIBUS ACADEMICIS
S. P. D.



WITTENBERGAE,
Prælo excudebat Matthæus Henckelius, Acad. Typogr.

28



Nomine non simplici, antiquitatis, metropolitanæ sedis in Stormaria, Religionis Christianæ, opum ac potentia nobilitatum, inde à temporibus Francorum Regum Imperatorumque Germanorum, CAROLI nimirum M. atque LUDOVICI PII celebre HAMBURGUM, Episcopatibus præfectum olim tribus cismarinæ Daniæ, (quam JUTIAM appellant,) ab OTTONE M. patriam charissimam Oratione panegyricâ laudabit hodiè, solemnî ritu, Nobilissimus Politissimusque Juvenis, LAURENTIUS PETRI, HAMBURGENSIS. Causam illi naturalis porrò in Amplissimum Parentem Necessariosque suos pietas, occasionem Senatorii Ordinis Magnifici, hâc ipsâ tempestate, in officiis non paucis renovatio, suffragiis liberrimis innixa, præbuit; ut omnium facilè applausum inde mereatur. NORDALBINGIAM, Saxoniae trans Albim partem, appellatione veteri, tres continentem populos, STORMARIOS, HOLSATOS, & DIETMARSOS, HELMOLDUS coævus Scriptor FRIDERICO I. Cæsari, salutatur. Primus, qui HOLSATIÆ nomen antiquissimum non haberi oportere, sit indicio, ADAMUS extitit BREMENSIS. Hoc anterior REGINO, NORDALBINGIOS vocavit semper; nusquam meminit HOLSATIÆ. Hæc una tamen eminent, & in vicinia ipsius, Hamburgensium, ex foedere HANSICO, Urbs, si discedas à LUBECA, princeps; quæ famam sui diditam tam propagavit latè, quam per orbem universæ circiter Europæ longiùs commercia extendit. ADOLPHUS illi Comes SCHAUEN-
EN-

ENBURGICUS, ab arce, velut specula, denominatus, post extinctam BILLINGORUM stirpem, à LOTHARIO Saxonie præpositus; (post tria secula, & quod excurrit, dominatione Comitum abolitâ,) familiæ hos primum titulos transmisit ad posteritatem. In hac natus Noster pariter ac educatus Urbe, affatim materiei habet, cur præclarius de ea mereatur. Meritus insigniter, si quisquam alius, de Patriæ rebus vetustissimis, ab ignorantia vindicandis & oblivione, (modò de Religionis veritate etiã!) LAMBECIUS, felicior HOLSTENIO, concive suo; quorum iste manûs Augustissimi Imperatoris LEOPOLDI, Vindobonæ, hic extremos pedes, aut sandalia tantummodò Pontificis deosculari Romæ, quoad vixit, potuit. Pontificis dum mentionem fecimus, Hamburgû gloriatur de sepulto ibi Papa, BENEDICTO XII. quem deiecerat de sede sua OTTO M. Heneti occiderant, dum celebraret missam, ipso die Petri, qui ad vincula notatur. Comitum SCHAUBENBURGENSIUM multorum ossa & memorias religiosius custodit: qui, ut vetus ibi condet inscriptio, POST CAROLUM M. ET LUDOVICUM EJUS FILIUM, ROMANORUM IMPERATORES, ET FRANCORUM REGES, ECCLESIAE HAMBURGENSIS FUNDATORES ATQUE FIDELISSIMI FAUTORES EXTITERUNT. Dedit & ALBERTUM CRANTZIUM, Theologum Rostochiensem primum, Præsulem in patria deinde, mox Saxonicum Venedicumque, per Septentrionis oras, sedulum Scriptorem, *συγγραφοῦν* LUTHERO nostro. Quod si occupare illud argumenti genus sedeat in præsens, PHILIPPI NICOLAI, DEDEKENNI, EIZENII, MOLLERI in Theologia & Philologia luminû, jam tùm superiori seculo clarissimorû monumeta, ut ex ordine juridico JOHANNEM OLDENDORPIUM & similes producere in scenã nec tot nostrã hac ætate inclytos silentio debemus præterire, MÜLLEROS religiosissimos, acutissimos

JUN-

JUNGIOS, ETZARDOS & GUTBIRIOS, incomparabiles omnino Viros: ii potius hanc curent operam, qui suorum ornamenta publica non spernunt, aut in levi ponunt. De WERNERIS ROLEVINCCIIS, de LINDENBROGIIS, WOWERIIS si dicere ingrederemur, res abiret in historiam. Meretur oppido WOWERIUS laudari; quem adhuc juvenem suspexit, admiratione plenus, Cato rigidus, SCIOPPIUS; Varonem nostri seculi REINESIUS vocavit, coluerunt SCALIGER JOSEPHUS, CASAUBONUS, HEINSIUS; prohi, quam prodigiosa eruditionis nomina! Salutis certe ac Germanicae auctoritatis interesse crediderunt Principum potentiores multi, ne ocellus hic Imperio Romano temere evelleretur. Dudum agnoverunt foedere HANSEATICO unitae Civitates, quantum mercimoniis conciliare florem possit, si Hamburgum cum Lubeca veteri in libertate conservetur. Declamator Ornatisimus uberrime interpretabitur non varia duntaxat nominis, sed & originum, & casuum memorabilia, exponens hodie, peractis rite sacris pomeridianis, in Acroaterio majori; monumentis non est trivium petitis, rariora plurima in lucem prolaturus. Quomodo in omnes Orbis habitati cardines ingentia dimittat vela & recipiat, frumenta colligat, tot regionibus idonea & necessaria alendis; tot suppeditet in praeparato semper arma, viros, legiones, nec Neptunum horreat, nec expavescat Martem: totque una incolas contineat, quot multis alioquin oppidis sufficerent. Dabit Per-Illustris Generosissimusque LIB. BARO, dabunt illam universi CIVES ACADEMICI dilecti, copiam favoris & confluxus postea, ut solemniore in Panegyri encomiastes Noster audientiam prolixam ac attentione excitetur. P. P. Dominica ESTO MIHI, festo die PETRI CATHEDR. in fastis, Anno, post DEI hominumque consanguinitatem publicatam,
CLC LCC XCI.



44

RECTOR
ACADEMIAE WITTENBERGENSIS,
MICHAEL
WALTH
S.S. THEOL. D.

NEC NON ALUM
EPHO
CIVIBUS AC
S.P.



WITTENBERG
Prælo excudebat Matthæus H



28